

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

LXXIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

ant, non Rex ipse, sed ejus consiliiarii, penes quos regni omnes nunc sunt thesauri. Nam dum Rex occupatus fuit civilibus bellis, illi suam egregiè rem fecerunt, ita ut Cancellarius jam in annuis redditibus habeat 400. centena millia Francorum: Conestablii plura istis. Nostri debet Rex ultra centena millia Coronatorum, spes solutionis facta est amplissima: sed quantum fidei Gallicæ tribuendum sit, nemo nescit: proinde parum etiam tribuunt plerique ex nostris pollicitationibus istis, licet splendidissimis, hominum, quorum vanitatem, jam toties experti sunt. Regem dementavit mulierecula, cujus libidini magis quam suo honori servit. Sed quid mirum, si à DEO deseratur, qui eidem tergum vertit. De Cardinali Austriaco, qui Gubernator Belgis datus est, præclara multi sibi promittunt. Asunt pacificum & bonum virum esse. Propterea spes est fore, ut religionis libertatem subditis permittat, quo pacatas Belgii provincias, & subditos obsequentes habere possit. Verum ista tempus patefaciet. Hic præterea nihil novi habemus scriptio dignum hoc tempore, iccirco epistola finem impono, & te tuamque honestissimam conjugem cum prælia nostra DEO Opt. Max. commendo & novum hunc annum omnibus vobis fastissimum felicissimumque precor & opto. Dabam Bernæ. 6. Idus Jan. Anno 96.

Salutant vos omnes officiosè & reverenter Uxor & tota familia mea..

*Observantissimus Compater*

P. Hübnerus.



LXXIX.

*Principis Condæi Epitaphium.*

**O**S, conjux, servus vitæ instrumenta tuendæ  
 Condæo vitam tam malè cur rapiunt?  
 Ore cibus capitur, qui vires servat, alitque  
 Corpus, & extremo liberat interitu.  
 Conjux ut vitæ socia est, tutumque juvamen,  
 Sic amat atque virum prole pudica beat.  
 Fida domus & heri custodia credita servis  
 Insidiarum omni suspicione caret.  
 Conjugis arte tamen, servi dextrâ, ore venenum  
 Condæus Princeps interitumque bibit.

Ereptum

Ereptum telis toties hostilibus uxor  
 Et servus proprio cur necat ore domi?  
 Surdus ad uxoris mendacia quod fuit atque  
 Servorum, ore capi qui nequit, ore perit.

*Carmen Triumphale ad Præstantissimam Dominam  
 Elisabetham, Serenissimam Reginam Angliæ.*

Straverat innumeris Hispanus navibus æquor  
 Regnis juncturus sceptrâ Britanna suis.  
 Tanti huius rogitas quæ motus causa? superbos  
 impulit ambitio, vexit avaritia,  
 Quam benè te ambitio merfit vanissima, ventus  
 & tumidos tumidæ vos superastis aquæ?  
 Quam benè totius raptores orbis avaros  
 Hausit inexhausti iusta vorago maris?  
 At tu cui venti, cui totum militat æquor,  
 Regina, ô Mandi totius una decus!  
 Sic regnare DEO perge ambitione remota,  
 Prodigâ sic opibus perge juvare pios.  
 Ut Te Angli longum, longum Angliis ipsa fruaris,  
 Quam dilecta bonis, tam metuenda malis.

Theodorus Beza Vezelius.



LXXX.

Laurentio Tuppio.

Audido, hora prima fore capitulum, proinde rōgo, Vir Clarissime, ut  
 quemadmodum heri inter nos convenit, ipse etiam adesse ne graveris:  
 habebimus adversarios, ut intelligo, illos maximè, qui nihil nisi leges  
 & statuta collegii crepant: ipsi legum observantissimi, (si Diis placet.)  
 His explicanda est æquitas & horum temporum necessitas, quæ est instar

Xxx xx 3